

HISTORIARUM INDICARUM LIBER TERTIUS.

HOC tam secundo successu rerum, Emmanuel Orientis opes imperiumque animo & spe in dies majore complexus, percunctando a regionum peritis, & navigationis tabulas, quæ ex India depictæ subinde referebantur, attentius contemplando, ita comperiebat: Indicæ negotiationis præsidia & quasi claustra præcipua esse tria: Adenum Arabiæ, & Armuziam insulæ Geru (Ogyrim olim fuisse quidam haud absurde conjiciunt) prænobiles urbes, quarum altera Arabici, altera Persici sinus ostium obsideret: itemque Malacam, Sincapurano impositam freto; quo, propter loci opportunitatem, Sinarum, & Lequiorum, & insularum pæne innumerabilium mercimonia commearent. Ergo, ad ea loca vel fœdere sibi adjungenda, vel armis, ubi res exigeret, occupanda, studium omne cogitationemque converterat: ratus, id quod res erat, eam unam expeditissimam rationem esse totius maritimi quæstus ac mercaturæ ab Ægypto Syriaque in Lusitaniam transferendæ. Non fellere ejusmodi consilia Saracenos & Arabas, viros & in suis occultandis voluntatibus, & in alienis odorandis explorandisque admirandæ sagacitatis. Itaque Zamorino per aulicos & Brachmanas persuadent, ut quoniam Indicas classes Lusitanicis & robore navium & armorum apparatu inferiores tot jam eventus ostenderint; ab Ægypti & Arabiæ ac Syriæ Rege Campsone, quem Sultanum appellabant, adversus communem hostem auxilia accersat. Missus in eam legationem cum amplis muneribus Maimames, Mahometanæ superstitionis cultu notissimus. Is, miscendo consilium precibus, modo Campsonem obsecrabat, ut religionis avitæ causam susciperet, ac prophetæ sepulchrum, & populares, amicosque & consanguineos a quotidianis Lusitanorum injuriis ac latrociniis vindicaret: modo suadebat, ut sibi quoque vectigalibusque suis mature confuleret. Gentem ab ultimis orbis terræ terminis in partem Indici commercii vix ante quinquennium precario admissam, tantos jam sibi sumpsisse spiritus, ut leges Orienti dare, jura publica invadere, Asiaticas opes per summam audaciam intervertere, quibus denique visum sit navigatione ipsa interdicerere minime dubitet. Qui tam longinquis ac periculosis expeditionibus talia moliantur; quid tandem, si domicilium ac sedem in Asia fixerint, non ausuros? orientem flammam vel exiguo latice, adultam jam & grassantem, non nisi ruina opprimi & extinguere. Proinde nascenti malo pro sua pietate ac prudentia quam primum occurreret. Ad extremum petebat, ut classem adversus Lusitanos quantam posset maximam, remige ac milite instructam, ad Indiæ littora mitteret.

Cale-